

provocantia ad peccatum comprimuntur. Adjuvat etiam Deus hominem contra peccatum per naturale lumen rationis, & alia naturalia bona, quae homini confert. Quum ergo haec auxilia aliquibus subtrahit pro merito suae actionis, secundum quod ejus iustitia exigit; dicitur eos obdurare, vel excacare, vel aliquid eorum quae dicta sunt.

CAPUT CLXIII.

De praedestinatione, reprobatione, & electione divina.

Quia vero ostensum est, quod divina operatione aliqui diriguntur in ultimum finem per gratiam adjuvi, aliqui vero eodem auxilio gratiae deserti, ab ultimo fine decidunt; omnia autem quae a Deo aguntur, ab aeterno per ejus sapientiam provisa, & ordinata sunt, ut supra ostensum est: necesse est praedictam hominum distinctionem ab aeterno a Deo esse ordinatam. Secundum ergo quod quosdam ab aeterno praedestinavit ut dirigendos in ultimum finem, dicitur eos praedestinasse: unde Apostolus dicit ad Ephes. 5. Qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum... secundum propositum voluntatis suae. Illos autem quibus ab aeterno disposuit se gratiam non daturum, dicitur reprobase, vel odio habuisse, secundum illud quod habetur Malachiae 1. 2. Jacob dilexi, Esau au-

(1) Vulgata: ipsi gloria in saecula. Amen.

tem odio habui. Ratione vero ipsius distinctionis, secundum quod quosdam reproboavit, & quosdam praedestinavit, attenditur divina electio: de qua dicitur Ephes. 1. 4. Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.

Sic igitur patet quod praedestinatio, & electio, & reprobatio est quaedam pars divinae providentiae, secundum quod homines ex divina providentia ordinantur in ultimum finem: unde per eadem manifestum esse potest quod praedestinatio, & electio necessitatem non inducunt, quibus & supra ostensum est cap. LXX. quod divina providentia contingentiam a rebus non auferit.

Quod autem praedestinatio, & electio causam non habeant ex aliquibus humanis meritis, potest fieri manifestum non solum ex hoc quod gratia Dei, quae est praedestinationis effectus, meritis non praevenerit, sed omnia merita praecedunt humana, ut ostensum est; sed etiam manifestari potest ex hoc quod divina voluntas, & providentia est prima causa eorum quae fiunt. Nil autem potest esse causa voluntatis, & providentiae divinae, licet effectuum providentiae, & similiter praedestinationis unus possit alterius esse causa. Quis enim, ut Apostolus dicit Rom. xi. 35. prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & in ipso, & per ipsum sunt omnia: (1) ipsi honor, & gloria in saecula saeculorum. Amen.

CAPUT CLXII.

FINIS LIBRI TERTII.

[Faint, mostly illegible text in the left margin of the right page, likely bleed-through from the reverse side.]

[Faint, mostly illegible text in the right margin of the right page, likely bleed-through from the reverse side.]

DIVI THOMAE AQUINATIS, DOCTORIS ANGELICI, DE VERITATE CATHOLICAE FIDEI CONTRA GENTILES LIBER QUARTUS.

CAPITULUM I.

PROOEMIUM.

Ecce haec ex parte dicta sunt viarum ejus: & quum vix parvam stillam sermonum ejus audierimus, quis poterit fontium magnitudinis intueri? Job xxxvi. 14.

Intellectus humanus a rebus sensibilibus, connaturaliter sibi scientiam capiens, ad intuendam divinam substantiam in se ipsa, quae super omnia sensibilia, immo super omnia alia entia improprietate elevatur, pertingere per se ipsum non valet.

Sed quia perfectum hominis bonum est ut quoquo modo Deum cognoscat, ne tamen nobilis creatura omnino in vanum esse videretur, velut finem proprium attingere non valens; datur homini quaedam via per quam in Dei cognitionem ascendere possit, ut scilicet quia omnes rerum perfectiones quodam ordine a summo rerum vertice Deo descendunt, ipse ab inferioribus incipiens, & gradatim ascendens in Dei cognitionem proficiat. Nam & in corporalibus motibus eadem est via qua descenditur, & ascenditur, ratione principii, & finis distincta. Praedicti autem descendens perfectionum a Deo, duplex est ratio. Una quidem ex parte primae rerum originis: nam divina sapientia, ut perfectio esset in rebus, res produxit in ordine; ut creaturarum universitas ex summis rerum, & infimis completeretur. Alia vero ratio ex ipsis rebus procedit: nam quum causae sint nobiliores effectibus; primo quidem causata deficient a prima causa, quae Deus est, quae tamen suis effectibus praeminet; & sic deinceps quousque ad ultima rerum perveniat. Et quia in summo rerum vertice Deo perfectissime unita invenitur; & unumquodque quanto est magis unum; tanto est magis virtuosum, & dignius: consequens est ut quantum a primo principio receditur, tanto major diversitas, & variatio inveniat in rebus. Oportet igitur processum emanationis a Deo uniti quidem in ipso principio, multiplicari autem secundum res infimas, ad quas terminatur. Et ita secundum diversitatem rerum apparet viarum diversitas quasi ab uno principio inchoatarum, & terminatarum ad diversa.

Per has igitur vias intellectus noster in Dei cognitionem ascendere potest; sed propter debilitatem in-

tellectus nostri nec ipsas vias perfecte cognoscere possumus. Nam quum sensus, unde nostra cognitio incipit, circa exteriora accidentia versetur, quae sunt secundum se sensibilia, ut color, & odor, & hujusmodi; intellectus vix per hujusmodi exteriora potest ad interiorum notitiam pervenire, etiam illarum rerum quarum accidentia sensu perfecte comprehendit. Multo igitur minus pertingere poterit ad comprehendendum naturas illarum rerum, quarum pauca accidentia capimus sensu, & adhuc minus illarum quarum accidentia capi non possunt, etsi per quosdam deficientes effectus participetur. Sed etsi ipsae naturae rerum essent nobis cognitae, ordo tamen earum, secundum quod a divina providentia & ad invicem disponuntur, & diriguntur in finem, tenuiter nobis notus esse potest, quum ad cognoscendam rationem divinae providentiae non pertingamus.

Si igitur ipsae vias imperfecte cognoscuntur a nobis, quomodo per eas ad perfecte cognoscendum ipsarum viarum principium poterimus pervenire, quod sine proportionem excedit vias praedictas? Etiam si vias ipsas cognosceremus perfecte, nondum tamen perfecta principii cognitio nobis adesset.

Quia igitur debilis erat Dei cognitio, ad quam homo per vias praedictas intellectuali quodam quasi intuitu pertingere poterat, ex superabundanti bonitate, ut firmior esset hominis de Deo cognitio, quaedam de se ipso hominibus revelavit, quae intellectum humanum excedunt; in qua quidem revelatione secundum congruentiam hominis quidam ordo servatur, ut paulatim de imperfecto veniat ad perfectum, sicut in ceteris rebus mobilibus accidit.

Primo igitur sic homini revelantur, ut tamen non intelligantur, sed sola quasi audita credantur, quia intellectus hominis secundum hunc statum quo sensibilibus est connexus, ad ea intuenda quae omnes proportionales sensus excedunt, omnino elevari non potest; sed quum a sensibilibus connexione fuerit liberatus, tunc elevabitur ad ea quae revelantur intuenda.

Est igitur triplex cognitio hominis de divinis. Quarum prima est, secundum quod homo naturali lumine rationis per creaturas in Dei cognitionem ascendit. Secunda est, prout divina veritas intellectum humanum excedens, per modum revelationis in nos descendit, non tamen quasi demonstrata ad videndum, sed

sed quasi sermone prolata ad credendum. Tertia est secundum quod mens humana elevatur ad ea quae sunt revelata, perfecte intuenda.

Hanc igitur triplicem cognitionem Job in verbis propositis insinuat. Quod enim dicit, Ecce haec ex parte dicta sunt viarum eius, ad illam cognitionem pertinet qua per viam creaturarum in Dei cognitionem nositer intellectus ascendit. Et quia has vias perfecte cognoscimus, recte adjunxit, ex parte: ex parte enim cognoscimus, sicut Apostolus dicit I. Corinth. xlii. 9. Quod vero subdit, Et quam vix parvam stillam sermonum ejus audierimus, ad secundam cognitionem pertinet, prout divina nobis credenda per modum locutionis revelantur. Fides enim (ut dicitur Roman. x. 17.) est ex auditu, auditus autem per verbum Dei: de quo etiam dicitur Joannis xvii. 17. Sanctifica eos in veritate; sermo tuus, veritas est. Sic igitur quia revelata veritas de divinis non videnda, sed credenda proponitur, recte dicit, Audierimus. Quia vero haec imperfecta cognitio effluit ab illa perfecta cognitione qua divina veritas in se ipsa videtur, dum a Deo mediantibus Angelis revelatur, qui vident faciem patris; recte nominat stillam: unde & Joelis i. 11. & 13. dicitur: In die illa stillabunt montes dulcedinem. Sed quia non omnia mysteria quae in prima veritate visa Angeli, & alii beati cognoscunt, sed quaedam pauca nobis revelantur; signanter addidit, parvam: dicitur enim Eccli. xlii. 35. Quis magnificabit eum sicut est ab initio? Multa abscondita sunt majora his: pauca enim vidimus operum ejus. Et Dominus discipulis Joannis xv. 12. Multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modo. Haec etiam pauca quae nobis revelantur, sub quibusdam similitudinibus, & obscuritatibus verborum nobis proponuntur, ut ad ea quoque capienda soli studiosi perveniant, alii vero quasi occulta venerentur, & increduli lacerare non possunt: unde dicit Apostolus ad Corinth. xlii. 12. Videmus nunc per speculum, in aenigmate. Signanter igitur addidit vix, ut difficultas ostenderetur. Quod vero subdidit, Quis poterit tonitruum magnitudinis ejus intueri? ad tertiam cognitionem pertinet, qua prima veritas cognoscitur, non sicut credita, sed sicut visa. Videbimus enim eum, sicuti est, ut dicitur I. Joannis i. 1. Unde dicit intueri. Nec aliquid modicum de divinis mysteriis percipietur, sed ipsa majestas divina videbitur, & omnis bonorum perfectio: unde Dominus ad Moysen dixit, Exod. xxxiii. 19. Ego ostendam tibi omne bonum. Recte ergo dicit, magnitudinis. Non autem proponitur veritas homini aliquibus velaminibus occultata, sed omnino manifesta: unde Dominus discipulis suis dicit, Joannis xv. 12. Venit hora quum jam non in proverbis loquar vobis, sed palam de patre meo annuntiabo vobis. Signanter ergo dicit tonitruum, ad manifestationem insinuandam.

Competunt autem verba praemissa nostro proposito: nam in praecedentibus de divinis sermo est habitus secundum quod ad cognitionem divinarum naturalis ratio per creaturas pervenire potest; imperfecte tamen, & secundum propriam possibilitatem ingenii, ut sic possimus dicere cum Job: Ecce haec ex parte dicta sunt viarum eius. Restat autem sermo habendus de his quae nobis revelata sunt divinitus, ut credenda, excedentia intellectum humanum.

Circa quae qualiter procedendum sit, praemissa verba nos docent. Quum enim veritatem vix audierimus in sermonibus sacrae Scripturae, quasi stilla parva ad

nos descendente; nec possit aliquis in hujus vitae statu tonitruum magnitudinis intueri: erit hic motus servandus, ut ea quae in sermonibus sacrae Scripturae sunt tradita, quasi principia sumantur; & sic ea quae in sermonibus praedictis occulte nobis traduntur, studeamus utcumque mente capere, a laceratione infidelium defendendo; ut tamen praesumptio perfecte cognoscendi non adsit. Probanda enim sunt hujusmodi auctoritate sacrae Scripturae, non autem ratione naturali; sed tamen ostendendum est, quod rationi naturali non sunt opposita, ut ab impugnatione infidelium defendantur: qui etiam modus in principio hujus operis praedeterminatus est. Quia vero naturalis ratio per creaturas in Dei cognitionem ascendit, fidei vero cognitio a Deo in nos e converso divina revelatione descendit; est autem eadem via ascensus, & descensus: oportet eadem via procedere in his quae supra rationem creduntur, qua in superioribus processum est circa ea quae ratione investigantur de Deo, ut primo scilicet ea tractentur quae de ipso Deo supra rationem credenda proponuntur, sicut est confessio Trinitatis. Secundo autem cap. xxvii. de his quae supra rationem a Deo sunt facta, sicut opus incarnationis, & quae sequuntur ad ipsam. Tertio vero cap. lxxix. ea quae supra rationem in ultimo hominum fine expectantur, sicut resurrectio, & glorificatio corporum, perpetua beatitudo animarum, & quae his connectuntur.

Quod sit generatio a paternitate, & filiatione in nominibus habentibus ad divinis, ostenditur idem in illis, sicut dicitur in Psalmo lxxviii. Sententia dicitur: Partuisti me, & genuisti me, & filius meus es tu.

Principium autem considerationis ad secretum divinae generationis sumentes, quid de ea secundum sacrae Scripturae documenta teneri debeat, praenotandum: dehinc vero ea quae contra veritatem fidei infidelitas advenit, argumenta ponamus: quorum solutione subjecta, hujus considerationis propositum consequemur. Tradit igitur nobis sacra Scriptura in divinis paternitatis, & filiationis nomina, Jesum Christum filium Dei contestans, quod in Scripturae novi testamenti frequentissime invenitur: dicitur enim Matth. x. 27. Nemo novit filium nisi pater, neque patrem, quis novit nisi filius. Adhuc Marcus suum Evangelium incipit, dicens: Initium Evangelii Jesu Christi filii Dei. Joannes etiam Evangelista hoc frequentiter ostendit: dicitur enim Joann. i. 35. Pater diligit filium, & omnia dedit in manu ejus: & Joann. v. 21. Sicut pater suscitavit mortuos, & vivificavit, sic & filius quos vult, vivificat. Paulus etiam Apostolus haec verba frequenter interserit: dicit enim ad Romanos i. 4. Segregatus in Evangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de filio suo: & ad Hebraeos i. 1. Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in filio. Hoc etiam traditur, licet rarius, in Scripturis veteris testamenti: dicitur enim in Proverb. xxx. 4. Quod nomen est ejus, & quod nomen filii ejus si nosti? In Psalm. 2. 7. legitur: Dominus dixit ad me: Filius meus es tu: & iterum Psalm. lxxxvii. 1. 27. Ipse invocavit me: Pater meus es tu. Et quamvis haec duo ultima verba aliqui vellent ad sensum alium retorquere, ut quod dicitur: Dominus dixit ad me: Filius

lius meus es tu: ad ipsum David referatur; quod vero dicitur: Ipse invocavit me: Pater meus es tu: Salomoni attribuitur: tamen ea quae conjunguntur utrique, hoc omnino non ita esse ostendunt. Neque enim Davidi potest competere quod additur: Ego hodie genui te: & quod subditur: Dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terrae: quum ejus regnum non usque ad terminos terrae fuerit dilatatum, ut historia Libri Regum declarat. Neque etiam Salomoni potest omnino competere quod dicitur: Ipse invocavit me: Pater meus es tu: quum subdat: Ponam in saeculum saeculi semen ejus, & thronum ejus sicut dies caeli. Unde datur intelligi, quod quia quaedam praemissis verbis annexa Davidi, vel Salomoni possint congruere, quaedam vero nequaquam, quod de David, & Salomone haec verba dicantur secundum morem Scripturae in alterius figuram, in quo universa compleantur. Quia vero nomina patris, & filii generationem aliquam consequuntur, etiam divinae generationis nomen Scriptura non tacuit: nam & in Psalmo ut dictum est, legitur: Ego hodie genui te: & Proverb. vii. 24. dicitur: Nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram, ante omnes colles ego parturiebar: vel secundum aliam litteram: Ante omnes colles generavit me Dominus. Dicitur etiam Isai. ult. 9. Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam? dicit Dominus. Si ego qui generationem caeteris tribuo, sterilis ero? ait Dominus Deus. Et licet dici possit hoc esse referendum ad multiplicationem filiorum Israel de captivitate revertentium in terram suam, quia praemittitur: Parturivit, & peperit Sion filios suos: tamen hoc proposito non obsistit. Ad quodcumque enim ratio aptetur, ipsa tamen ratio quae ex Dei ore inducitur, firma & stabilis manet, ut si ipse aliis generationem tribuat, sterilis non sit. Nec esset conveniens ut qui alios vere generare facit, ipse non vere, sed per similitudinem generet; quum oporteat nobilior esse aliquid in causa quam in causatis, ut ostensum est Lib. I. cap. xlii. Joann. etiam i. 14. dicitur: Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a patre: & iterum 18. Unigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarravit: & Paulus dicit Heb. i. 6. Et quum iterum introducit primogenitum in orbem terrae, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.

CAPUT III.

Considerandum tamen, quod praedictis nominibus divina Scriptura utitur etiam ad creationem rerum ostendam: dicitur enim Job xxxviii. 28. Quis est pluviae pater, vel quis genuit stillas roris? de cujus utero egressa est glacies, & gelu de caelo quis genuit? Ne igitur nihil aliud ex paternitate, filiationis, & generationis vocabulis intelligeretur quam creatio, nis efficacia, addidit Scripturae auctoritas, ut eum quem filium, & genitum nominabat, etiam Deum esse non taceret, ut sic praedicta generatio aliquid amplius quam creatio intelligeretur: dicitur enim Joann. i. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Et quod Verbi nomine filius intelligatur, ex consequentibus ostenditur: nam subdit: Verbum caro factum est, & habitavit in nobis: & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a patre. Et Paulus dicit ad Titum ii. 11. Apparuit benignitas, & humanitas Salvatoris nostri Dei. Hoc etiam veteris testamenti Scriptura non tacuit, Christum Deum nominans: dicitur enim in Psalm. xlii. 7.

Sedes tua, Deus, in saeculum saeculi: virga directionis virga regni tui. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem. Et quod ad Christum dicatur, patet per id quod subditur: Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo letitiae praec consortibus tuis: & Isai. ix. 6. dicitur: Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri saeculi, Princeps pacis. Sic igitur ex sacra Scriptura docemur filium Dei a Deo genitum, Deum esse. Filium autem Dei Jesum Christum Petrus confessus est, ei dicens Matth. xvi. 16. Tu es Christus filius Dei vivi. Ipse igitur & unigenitus est, & Deus est.

CAPUT IV.

Quid opinatus sit Photinus de filio Dei, & ejus doctrinam improbat.

Hujus autem doctrinae veritatem quidam perversi homines suo sensu metiri praesumentes, de praemissis vanas, & varias opiniones conceperunt. Quorum quidam consideraverunt, hanc esse Scripturae consuetudinem, eos qui divina gratia justificantur, filios Dei dici, secundum illud Joann. i. 12. Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus: & Rom. vii. 16. Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei: & I. Joann. i. 12. Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & simus. Quos etiam a Deo genitos esse Scriptura non tacet: dicitur enim Jac. i. 15. Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis: & I. Joan. i. 12. 9. dicitur: Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet. Et quod est mirabilis, eisdem nomen Divinitatis adscribitur: Dominus enim dixit ad Moysen, Exod. vi. 1. Ego constitui te Deum Pharaonis: & in Psalm. lxxxii. 6. Ego dixi: Dii estis, & filii Excelsi omnes: & sicut Dominus dicit Joann. x. 35. illos dixit Deos ad quos sermo Dei factus est. Per hunc modum opinantes, Jesum Christum purum hominem esse, & ex Maria Virgine initium sumpsisse, & per beatae vitae meritum Divinitatis honorem praec caeteris fuisse adeptum, existimaverunt eum similiter aliis hominibus per adoptionis spiritum Dei filium, & per gratiam ab eo genitum, & per quandam assimilationem ad Deum in Scripturis dici Deum, non per naturam, sed per consortium quoddam divinae bonitatis; sicut & de Sanctis dicitur II. Petr. i. 4. Ut efficiamini divinae consortes naturae, fugientes ejus quae in mundo est, concupiscentiae corruptionem.

1. Hanc autem positionem sacrae Scripturae auctoritate confirmare nitentur: dicit enim Dominus Matth. ult. 18. Data est mihi omnis potestas in caelo, & in terra. Quod si ante tempora Deus esset, potestatem ex tempore non accepisset.
2. Item, Rom. i. 3. dicitur de filio, quod factus est ei, scilicet Deo, ex semine David secundum carnem: & quod praedestinatus est Filius Dei in virtute. Quod autem praedestinatur, & factum est, videtur non esse aeternum.
3. Item, Apostolus dicit ad Philipp. ii. 8. Factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen. Ex quo videtur ostendi, quod propter obedientiae, & passionis meritum divino sui honore donatus, & super omnia exaltatus.
4. Petrus etiam dicit Actuum ii. 36. Certissime ergo goscias omnis domus Israel, quia Dominum eum, &

Christum Deus fecit hunc Jesum, quem vos crucifixistis. Videtur igitur ex tempore Deus esse factus, non ante tempora natus.

Adducunt etiam in fulcimentum suae opinionis ea quae in Scripturis de Christo ad defectum pertinere videntur, sicut quod foemineo portatur utero, & profectum aetatis accipit, esuriem passus est, & lassitudine fatigatus, & mortui subjectus, quod semper profecit, iudicii se nescire diem confessus est, & mortis terrorem concussus est, & alia huiusmodi, quae Deo per naturam existentem convenire non possent. Unde concludunt quod per meritum honorem divinum adeptus est per gratiam, non quod esset naturae divinae.

Hanc autem positionem primo adinvenerunt quidam antiqui haeretici, Cerintus & Ebion: quam postea Paulus Samosatensis instauravit, & postea a Photino est confirmata, ut qui haec dogmatizant, Photiniani nuncupentur.

Diligenter autem verba sacrae Scripturae considerantibus apparet non hunc sensum in ea contineri quem praedicti homines sua opinione conceperunt. Nam cum Salomon dicat, Proverb. vii. 24. Nondum erant abyssus, & ego iam concepta eram: satis ostendit hanc generationem ante omnia corporalia existisse. Unde relinquitur quod filius a Deo genitus initium essendi a Maria non sumpsit. Et licet haec, & alia similia testimonia depravate conati fuerint per-versa expositione, dicentes haec secundum praedestinationem debere intelligi, quia scilicet ante mundi constitutionem dispositum fuit ut ex Maria Virgine Dei filius nasceretur, non quod ejus filius fuerit ante mundum; per ea tamen quae sequuntur, patet quod non solum in praedestinatione, sed etiam realiter fuerit ante Mariam. Nam post praemissa verba Salomonis subjungitur: Quando appendebat fundamenta terrae, cum eo eram cuncta componens. Si autem in sola praedestinatione fuisset, nihil agere potuisset. Hoc etiam ex verbis Joannis Evangelistae habetur: nam cum praemississet, In principio erat Verbum, quo nomine filius Dei intelligitur, ut ostensum est, ne quis hoc secundum praedestinationem accipere posset, subdit: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Quod verum esse non posset, nisi realiter ante mundum existisset.

2. Item. De filio Dei dicitur Joann. i. 13. Nemo ascendit in caelum nisi qui descendit de caelo, filius hominis qui est in caelo: & iterum Joann. vi. 38. Descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me. Apparet ergo eum fuisse, antequam de caelo descenderet.

3. Praeterea. Secundum praedictam positionem homo per vitae meritum profecit in Deum; Apostolus autem e converso ostendit, quod cum Deus esset, factus est homo: dicit enim ad Philipp. ii. 6. Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitum inventus ut homo. Repugnat igitur praedicta positio apostolicae sententiae.

4. Adhuc. Inter caeteros qui Dei gratiam habuerunt, Moyses habuit eam copiose, de quo dicitur Exod. xxxiii. 11. quod loquebatur ei Dominus facie ad faciem, sicut loqui solet homo ad amicum suum. Si igitur Jesus Christus non diceretur Dei filius nisi propter gratiam adoptionis, sicut alii Sancti; eadem ratione Moyses filius Dei diceretur qua & Christus,

(1) Vulgata: Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre.

licet etiam abundantiori gratia Christus fuerit dotatus; nam & inter alios Sanctos unus alio majori gratia repletur, & tamen omnes eadem ratione filii Dei dicuntur. Moyses autem non eadem ratione dicitur filius, qua & Christus. Distinguit enim Apostolus Christum a Moysi sicut filium a servo: dicitur enim ad Heb. iii. 5. Moyses quidam fidelis erat in tota domo ejus tamquam famulus, in testimonium eorum quae dicenda erant; Christus autem tamquam filius in domo sua. Manifestum est ergo quod Christus non dicitur Dei filius per adoptionis gratiam, sicut alii Sancti.

5. Similis etiam ratio ex pluribus aliis Scripturae locis colligi potest, quae quodam singulari modo Christum praeter alios Dei filium nominat, quandoque quidem absque aliis singulariter eum filium nominans, sicut cum vox Patris intonuit in baptismo, Math. iii. 17. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui: quandoque enim unigenitum nominans, sicut Joann. i. 14. (1) Vidimus eum quasi unigenitum a Patre: & iterum i. 18. Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit. Si autem communi modo, sicut & alii, filius diceretur, unigenitus dici non possit. Quandoque etiam & primogenitus nominatur, ut quaedam derivatio filiationis ab eo in aliis ostendatur, secundum illud Roman. vii. 29. Quos praescivit, & praedestinavit fieri conformes imagini filii ejus, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus: & Galat. iv. 4. dicit: Misit Deus filium suum, ut adoptionem filiorum reciperemus. Alia ergo ratione ipse est filius, per cuius filiationis similitudinem alii filii dicuntur.

6. Amplius. Quaedam opera in Scripturis sacris Deo proprie attribuuntur quod alteri convenire non possunt, sicut sanctificatio animarum, & remissio peccatorum: dicitur enim Levit. xx. 8. Ego Dominus, qui sanctifico vos: & Isai. xlvi. 25. Ego sum qui deo iniquitates vestras propter me. Utrumque autem horum Christo Scriptura attribuit: dicitur enim ad Heb. ii. 11. Qui sanctificat, & qui sanctificantur, ex uno omnes: & ad Hebr. ult. 12. Jesus, ut sanctificaret per sanguinem suum populum, extra portam passus est. Ipse etiam Dominus de se protestatus est, quod haberet potestatem remittendi peccata; & miraculo confirmavit, ut habetur Math. ix. & hoc etiam Angelus de ipso praenuntiavit: Ipse, inquit Math. i. 21. salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Non igitur Christus & sanctificans, & peccata remittens, sic dicitur Deus, sicut dicuntur dii hi qui sanctificantur, & quorum peccata remittuntur; sed sicut virtutem, & naturam Divinitatis habens.

7. Illa vero Scripturae testimonia quibus ostendere nitentur, quod Christus non esset Deus per naturam, efficacia non sunt ad eorum propositum ostendendum. Confitemur enim in Christo Dei filio post incarnationis mysterium duas naturas, humanam scilicet, & divinam: unde de eo dicuntur & quae Dei sunt propria, ratione divinae naturae, & quae ad defectum pertinere videntur, ratione humanae naturae, ut infra cap. xxvii. &c. plenius explanabitur. Nunc autem ad praesentem considerationem de divina generatione hoc sufficit monstratum esse secundum Scripturas, quod Christus Dei filius, & Deus dicitur, non solum sicut purus homo per gratiam adoptionis, sed propter Divinitatis naturam.

8. Illa vero Scripturae testimonia quibus ostendere nitentur, quod Christus non esset Deus per naturam, efficacia non sunt ad eorum propositum ostendendum. Confitemur enim in Christo Dei filio post incarnationis mysterium duas naturas, humanam scilicet, & divinam: unde de eo dicuntur & quae Dei sunt propria, ratione divinae naturae, & quae ad defectum pertinere videntur, ratione humanae naturae, ut infra cap. xxvii. &c. plenius explanabitur. Nunc autem ad praesentem considerationem de divina generatione hoc sufficit monstratum esse secundum Scripturas, quod Christus Dei filius, & Deus dicitur, non solum sicut purus homo per gratiam adoptionis, sed propter Divinitatis naturam.

CA

CAPUT V.

Opinio Sabellii de filio Dei, & ejus improbatio.

Quia vero omnium de Deo recte sentientium haec est fixa mentis conceptio quod non possit esse nisi unus naturaliter Deus: quidam ex Scripturis concipientes, quod Christus sit vere, & naturaliter Deus, ac Dei filius, unum Deum esse confessi sunt Christum Dei filium, & Deum patrem; nec tamen quod Deus filius dicitur secundum suam naturam, aut ab aeterno, sed ex tunc filiationis nomen accepit ex quo de Maria Virgine natus est per incarnationis mysterium: & sic omnia quae Christus secundum carnem sustinuit, Deo patri attribuebant; puta esse filium virginis, conceptum, & natum esse ex ipsa, passum, mortuum, & resurrexisse, & alia omnia quae Scripturae de Christo secundum carnem loquuntur.

Hanc autem positionem confirmare nitentur Scripturae auctoritatibus. Dicitur enim Deuter. vi. 4. Audi, Israel, Dominus (1) Deus tuus, Deus unus est: Deuter. xxxi. 39. Videte quod ego sim solus, & non sit alius Deus praeter me: & Joann. xiv. 10. Pater in me manens, ipse facit opera: & qui videt me, videt & patrem: & ego in patre, & pater in me est. Ex quibus omnibus concipiebant, Deum Patrem, ipsum filium dici ex Virgine incarnatum.

Haec autem fuit opinio Sabellianorum, qui & Patripassiani dicti sunt, eo quod patrem passum esse confitentur, asserentes ipsum patrem esse Christum.

Haec autem positio, etsi a praedicta differat quantum ad Christi Divinitatem, nam haec Christum verum, & naturalem Deum esse confitentur, quod prima negabat; tamen quantum ad generationem, & filiationem utraque est conformis opinio. Nam sicut prima positio asserit filiationem, & generationem qua Christus filius dicitur, non fuisse ante Mariam; ita & haec opinio confitentur. Neutra igitur positio generationem, & filiationem ad divinam naturam refert, sed solum ad naturam humanam. Habet etiam & hoc proprium ista positio, quod cum dicitur filius Dei, non designatur aliqua subsistens persona, sed quaedam proprietates superveniens praesistenti personae. Nam ipse pater secundum quod carnem sumpsit ex virgine, filii nomen accepit; non quasi filius sit aliqua subsistens persona a persona patris distincta.

Hujus autem positionis falsitas manifeste ostenditur auctoritate Scripturae. Nam Christus non solum virginis filius dicitur in Scripturis, sed etiam filius Dei, ut ex superioribus patet. Hoc autem esse non potest ut idem sit filius sui ipsius.

1. Cum enim filius generetur a patre, generans autem det esse genito; sequeretur quod idem esset dans, & accipiens esse: quod omnino esse non potest. Non est igitur Deus pater ipse filius; sed alius est filius, & alius pater.

2. Item. Dominus dicit: Descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me: Joann. vi. 38. & xvii. 5. Clarifica me pater apud te ipsum. Ex quibus omnibus & similibus ostenditur filius esse alius a patre.

Potest autem dici secundum hanc positionem, quod Christus dicitur filius Dei patris solum secundum humanam naturam, quia scilicet ipse Deus pater humanam naturam quam assumpsit, creavit, & sancti-

(1) Vulgata: Deus noster, Dominus unus est.

ficavit. Sic igitur ipse secundum Divinitatem, sui ipsius secundum humanitatem dicitur pater: & ita etiam nihil prohibet eundem secundum humanitatem distinctum esse a se ipso secundum Divinitatem. Sed secundum hoc sequeretur quod Christus dicitur filius Dei, sicut & alii homines, vel ratione creationis, vel ratione sanctificationis. Ostensum est autem, quod alia ratione Christus dicitur Dei filius quam alii Sancti. Non igitur modo praedicto potest intelligi quod ipse pater sit Christus, & filius sui ipsius.

3. Praeterea. Ubi est unum suppositum subsistens, pluralis praedicatorio non recipitur. Christus autem de se, & patre pluraliter loquitur, dicens Joan. x. 30. Ego, & pater unum sumus. Non est ergo filius ipse pater.

4. Adhuc. Si filius a patre non distinguitur nisi per incarnationis mysterium, ante incarnationem omnino nulla distinctio erat. Invenitur autem ex sacra Scriptura etiam ante incarnationem filius a patre fuisse distinctus: dicitur enim Joann. i. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Verbum igitur quod apud Deum erat, aliquam distinctionem ab ipso habebat: habet enim hoc consuetudo loquendi ut alius apud alium esse dicatur.

5. Similiter enim Proverb. vii. 30. genitus a Deo dicitur: Cum eo eram componens omnia: in quo rursus associatio, & quaedam distinctio designatur. Dicitur etiam Osee i. 7. Domui Juda miserebor, & salvabo eos in Domino Deo suo: ubi Deus pater de salvandis in Deo filio populis loquitur, quasi de persona a se distincta, quae Dei nomine digna habetur. Dicitur etiam Gen. i. 26. Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram: in quo expresse pluralitas, & distinctio facientium hominem designatur. Homo autem per Scripturas a solo Deo conditus esse docetur; & sic Dei patris, & Dei filii pluralitas, & distinctio fuit etiam ante Christi incarnationem. Non igitur ipse pater filius dicitur propter incarnationis mysterium.

6. Amplius. Vera filio ad ipsum suppositum pertinet ejus qui dicitur filius: non enim manus, vel pes hominis filiationis nomen proprie accipit, sed ipse homo, cujus ista sunt partes. Paternitatis autem, & filiationis nomina distinctionem requirunt in illis de quibus dicuntur, sicut & generans, & genitum. Oportet igitur, si aliquis vere dicitur filius, quod supposito a patre distinguatur. Christus autem vere est Dei filius: dicitur enim I. Joannis ult. 20. Ut simus in vero filio ejus Jesu Christo. Oportet igitur quod Christus sit supposito distinctus a patre: non igitur ipse pater est filius.

7. Adhuc. Post incarnationis mysterium pater de filio protestatur, Math. i. 17. Hic est filius meus dilectus. Haec autem demonstratio ad suppositum refertur. Christus igitur secundum suppositum est alius a patre.

Ea vero quibus Sabellius suam positionem nititur confirmare, id quod intendit non ostendunt, ut infra cap. ix. plenius ostendetur. Non enim per hoc quod Deus est unus, vel quod pater est in filio, & filius in patre, habetur quod filius, & pater sit unum supposito: potest enim & duorum supposito distinctorum aliqua unitas esse.

CA